



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psalm. VII. Domine Deus meus in te sperauit, &c. Carm. gen. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Dominus benignus supplicem me exaudijt,
Orationique annuit:

Subitus ut hostes obruat pudor meos,
Vultusque confundat rubor:
Tristi repente ut palleant infamia,
Fugamque turpem mœreant.

PSALM. VII. - Domine Deus meus in te
speravi, &c. Carm. gen. 6.

N te salutis spem posui meæ,
Seruator orbis: faucibus hostium

Me libera, qui mente sœua
Interitum mihi moluntur.
Si nemo uindex asserat, ut leo
Imbellè crudus dilaniat pecus,
Sic me ferus discepit hostis,
Innocui sitiens cruoris.

Si uerus index me meritò arguit,
Nec falsa mendax crimina texuit,
Si damna pro damnis rependi,

Nec miseris facilis pepercit,
Me persequatur dum capiat sequens,
Captumque sternat, stratum & humili pede
Conculcet, & sceptri superbum
Proterat abijciatque fastum.

Exurge, iustas te furor impius
Meorum in iras excitet hostium.

Exurge, promissamque redde
Perfidiae Deus ultionem.

Exurge, terris luceat omnibus
Augusta maiestas tua, te suum

Accur.

PSALMVS VII.

Accurrit agnoscatque regem
Concilium populi, patremque.
O qui potenti sceptrum tenens manu,
Gentes per omnes crimina vindicas,
Me vindica, si ritè poenas
Ore pio innocuoque posco.
O iuste iudex, cordis in intimo
Quem nil recessu praeterit abditum,
Frange impios ausus malorum:
Fulci animos refoueque iustos.
Securus hostes nil metuo, Deo
Custode: quem simplex animi iuuat
Candor, pios seruat, malisque
Exitium assidue minatur.
Nam ni redimus, iam gladium tenet,
Iam tendit arcum promptus, & arripit
Ferale telum, & igne saeuo
Lethiferas acuit sagittas.
En, qui nefandum parturiit scelus,
Concepit ærumnam, pariet uelut
Quæ uana per somnum inquietas
Ludificant simulacra mentes.
Fodit dolosam, ut me caperet, scrobem,
Incautus in fossam ipse suam ruit.
In uerticem ipsius recurret
Pernicies, recidentque fraudes.
Ergo expeditus fraudibus & metu,
Rerum parentis iustitiam canam,
Nomenque sanctum: gratiasque
Laetus again, repetamque laudes.

A V